

sapientem illum Biantem, ut opinor, qui numeratur in septem; cujus quum patriam Prienen cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: *Ego vero*, inquit, *facio; nam omnia mea porto mecum*. Ille haec ludibria fortunae ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quaeret aliquis bonum? Si quid recte fit, et honeste, et cum virtute, id bene fieri, vere dicitur: et, quod rectum et honestum, et cum virtute est, id solum opinor bonum.

Cap. II. Sed haec videri possunt obscuriora, quum lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt summorum virorum haec, quae verbis subtilius, quam satis est, disputari videntur. Quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rem publicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut suppellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum: vultis a Romulo? vultis post liberam civitatem, ab iis ipsis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in coelum? iisne, quae isti bona appellant? an rebus gestis atque virtutibus? Quid? a Numa Pompilio? minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos; sunt enim omnes pares inter se, praeter Superbum. Brutum si quis roget, quid egerit in patria liberanda; si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis existet, cui voluptas, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsennae C. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coelitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium devotavit, atque immisit in armatas